

CRITICA IN SENECAE EPISTULAS

Archetypi menda in libro I tolluntur

In memoriam Buechelero et Useneri

Ad recognitionem textus Annaeani exsequendam meum est Franciscum Buechelerum consequi, qui sicuti in cuiusvis aetatis latinitate, ita in argentea quoque artem criticam peritia singulari exercuit. verum ut Senecae philosophi codicum medii aevi menda communia omnium retegantur, et quantum fieri poterit, tollantur, etiam philosophari necesse est. quomodo autem philologum philosophari deceat, Hermannus Usener docuit. qua in re assentior illi, qui in laudatione funebri Useneri Gottingensi verax fuit: „Bis auf Usener war die griechische Philosophie eine Domäne der Philosophen. Es ist Usener gewesen, der die Philologen gelehrt hat, bei den antiken Philosophen nicht mehr zu fragen, ob ein Dogma philosophischen Wert habe oder nicht, sie als ganze Menschen ganz zu fassen, zu begreifen, daß das antike φιλοσοφείν mehr ist als das Erfinden eines Complexes dogmatischer Formeln.“

epist. 4,3 profice modo: intelleges quaedam ideo minus timenda, quia multum metus adferunt. nullum magnum, quod extremum est. mors ad te venit; timenda erat, si tecum esse posset; necesse est aut non perueniat aut transeat. *codd.*

Ad hunc locum interpretandum aggrediens in transcurso moneo, *profice* terminum stoicorum reddere: εἰ γὰρ προκόψειας. deinde in postrema sententia eclogae M. C. Gertz, qui cum Nicolao Madvig et Bertil Axelsson de palma certat in emendando textu Annaeano, ante *necesse* et post *posset* inseruit *set*, lenissima medela vitium archetypi ex haplographia ortum corrigens. denique venio ad enuntiatum *nullum magnum, quod extremum est*, de quo interpretes ambigunt, probandusne textus traditus sit, an coniecturae indigeat. in tradito acquievit Ruhkopf (ed. 1800) *nullum magnum* i. q. „nihil magni momenti est“ valere contendens, quem secutus est novissimus editor A. Beltrami (1949). at in singula inquirens B. Axelsson „Neue Senecastudien“ (1939) p. 161 s. demonstravit, explicationem

istam latinitati Senecae imparem esse; quae explicatio insuper sensu sobrio careat: „da ja *quod extremum est*, ganz gut *magnum* sein kann“. unde accepit Axelson recensionem ab Erasmo usque ad Ruhkopf vulgatam nec non et ab Hense (ed.² 1914) receptam, quam Madvig quoque, Adv. cr. II p. 461 commendaverat: *nullum <malum> magnum, quod extremum est*. post *<malum>* insuper *<est>* Gertz addidit. verum, si quid video, ne haec quidem coniecturalis constitutio sermonis meditationem philosophi restituit. immo quid sensus flagitet, perspicimus, si sententiam, quae ante enuntiatum *nullum . . . extremum est* occurrit: *quaedam ideo minus timenda, quia multum metus adferunt* cum sententia componimus, quae post enuntiatum illud *nullum . . . extremum est* legitur: *mors ad te venit: timenda erat, si tecum esse posset; sed necesse est aut non perveniat aut transeat*.

Unde in tradita memoria *nullum magnum, quod extremum est*, adiectivum *magnum* corruptum dico. pro quo notio longioris metus sive longioris anxietatis expectanda est. nam ex sententia Senecae hoc loco promulgata longior anxietas mors ipsa quidem non est; immo momentaria res mors ipsa est, quae *aut non pervenit aut per breviter transit*. accidit autem commodissime, ut ad notionem „anxietatis longioris“ exprimendam epitheton „longior“ facile e loco ut superfluum cedat. nimirum *anxietas* status longior animi per se est; res momentanea tantummodo *angor* est; cf. Cic., *fin.* IV 27 *differt anxietas ab angore; neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando*. restituo igitur Senecae loquelam: *nullum <anxium>, quod extremum est; mors ad te venit; . . . necesse est aut non perveniat aut transeat*.

Ex scriptura capitali NVLLVMANGSIIVM male a scriba archetypi Carolini *epistularum* excepta communis codicum nostrorum lectio *nullum magnum* exorta est. litteram x per g scriptam etiam in archetypon Carolinum transiisse intellegitur ex 9,20 *expungsi p* codicis, fide simplici archetypum depingentis. praeterea v. titulos seros codicesque Vergilianos aliosque testes, quoscumque Bonnet, „Latin de Grég. de Tours“ (1890) p. 174 ad illustrandam variam scripturam litterae x cadente antiquitate collegit. voce *anxius* utitur Sen. *epist.* 17,9 et 98,6 *animus futuri anxius*, et pro subst. *dial.* 6,26,3 *humilia cuncta et gravia et anxia*. de neutris adiectivorum vice substantivorum fungentibus cf. E. Opitz, „De latin. Senecae“ (Progr. Naum-

burg 1871) p. 14 ss.; v. e. gr. *epist.* 41,3 *proceritas silvae et secretum loci, et admiratio umbrae.* 94,73 *quotiens despexerunt in illud magnitudinis suae praeceps.* hoc usu adiectivi luxuriare coepit aetas argentea.

epist. 4,9 at si forte in manus hostium incideris, victor te duci iubebit: eo nempe, quo duceris. quid te ipse decipis et hoc nunc primum, quod olim patiebaris, intelligis? ita dico: ex quo natus es, duceris. *codd.*

Mirum fit, quod editorum nullus monuerit, sensu cassam remanere sententiam: *victor te duci iubebit: eo nempe, quo duceris.* scribendum est: *quo* (*dudū*) *duceris* sublato vitio ex haplographia nato, quod genus negligentiam scriba archetypi Carolini iterum atque iterum commisit. de usu particulae *dudum* cf. *nat.* II 59,1 *dudum desideres.* non nisi *dudum* ad *duceris* addito habent sequentia *nunc primum* et *olim* quo spectent. placitum *ex quo natus es, duceris* (moreris) stoico philosopho ex astrologia sectae ad manum erat: *nascentes morimur* Manil., *astron.* IV 16.

epist. 5,4 illud quoque efficimus (*cynico indulgentes habitui corporis et animi*), ut nihil imitari velint nostri, dum timent, ne imitanda sint omnia. hoc primum philosophia promittit, sensum communem, humanitatem et congregationem. a qua professione dissimilitudo nos separabit. videamus, ne ista (*cynica*), per quae admirationem parare volumus, ridicula et odiosa sint. *codd.*

Unus Erasmus ante me sibi persuasit, in hac ecloga sententiam *a qua professione dissimilitudo nos separabit* vitio traditionis gravari. nimirum duobus huius epistulae locis notio *dissimilitudinis* praeterea occurrit: 5,2 *intus omnia dissimilia sint, frons populo nostra conveniat* et 5,6 *dissimiles esse nos vulgo, sciat qui inspexerit propius.* itaque cum utroque horum locorum *dissimilitudo* ad interiorem animi habitum stoici spectet, Erasmus idem in tertium quoque locum 5,4 cadere sumpsit. inde in sententia *a qua professione dissimilitudo nos separabit* pronomen *nos* eiecit et interpretatus est: „a qua congregatione dissimilitudo professionis separabit. vult enim Sen. nos intus habere philosophiam, non profiteri.“

Meam autem explicationem loci ab eo incipio, ut praefracte negem, *dissimilitudinem* 5,4 a Seneca in sermonem trac-

tam idem genus *dissimilitudinis* esse atque stoicam 5,2 et 5,6 ab eo dictam. stoicos *dissimilitudinem* prudenter occulere Seneca instat. quodsi 5,4 queritur, philosophum a professione vitae socialis *dissimilitudine* prohiberi, stoicam *dissimilitudinem* neutquam in animo habet, sed alterius sectae *dissimilitudinem* ei ante oculos esse necessarium fit. quid? nonne a vulgo dissimilem esse habitum philosophorum cuiusvis sectae Seneca fatetur? cf. *epist.* 29,11 *Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. quis enim placere populo potest, cui placet virtus?* nihilo minus differunt singulae sectae inter se gradu, quo quaeque recedat a moribus communibus civium. qua in re quantum stoici distent a cynicis, breviter designat Sen., *dial.* X 14,2 *hominis naturam cum stoicis vincere, cum cynicis excedere.* atque adeo pluribus idem exponit Sen. etiam in ipsa *epist.* 5. itaque in sententia 5,4: *a qua professione (humanitatis et congregationis) dissimilitudo nos separabit cynicorum dissimilitudinem* apertam, non stoicorum occultam ut 5,2 et 5,6 in animo habet.

Quae cum ita sint, non potuit Seneca 5,4 vocabulum *dissimilitudo* absolute positum adhibere; immo epitheton vocabulo addere debuit, quo cynicam *dissimilitudinem* populo se omnimodo ostentantem significaverit. nescio autem, quod adiectivum in latinitate argentea domesticum magis idoneum sit ad demonstrandam velut Diogenis cynici vitam *dolio se complicantis et in eo cubitantis* (Sen. *epist.* 90, 14) quam *propatulus*. quod epitheton in sententia 5,4 vocabulo *dissimilitudo* cum emphasi praemissum maxime eo quoque commendatur, quia artis palaeographicae ratio habetur, si textui vox *propatula* post vocem *professione* ab aequis litteris *pro-* incipiens inseritur. scripsit igitur Seneca: *hoc primum philosophia promittit, sensum communem, humanitatem et congregationem. a qua professione (propatula) dissimilitudo nos separabit.*

Trium virtutum, quas profiteri stoici sit, ad tertiam, i. e. *congregationem* pauca adnoto. quae quem terminum graecum reddat, si quaeris, apud Arnim, St. v. frg. IV p. 84 ad *κοινωνία* relegaris. ubi cum graecis locis comparandi latini leguntur velut Cic., *fin.* IV 4 *nos natos esse ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani et rep.* I 39 *coetus multitudinis . . . communionem sociatus . . . eius autem prima causa coeundi est . . . naturalis quaedam hominum quasi congregatio.* cuius generis ex locis intellegitur, Graecorum terminum *κοινωνία* latine potius vocabulis *communio, communitas* reddi quam *congregatione*. quin etiam termino *societas*

latini convertunt graecum κοινωνία, ut Cicero, sic potissimum Seneca, *epist.* 9, 17; *benef.* I 15,2; VII 19,8. contra vero qui latinae voci *congregatio* accurate respondet Graecorum terminus συναγελασμός, is demum apud neoplatonicos invenitur, velut in Porphyrii catalogo virtutum politicarum apud Stob. III 1, 133 p. 90,7 Hense et apud Iambl., *in Nic.* p. 81,14 Festa. quamquam iam apud Marc. Aur., εἰς ἑαυτ. XI. 18,17 p. 144 Schenkl μέλισσαι . . . ὅσα συναγελαστικὰ πέφυκε notitia termini reperitur. apparet igitur, Ciceronem et Senecam in usu termini *congregatio* non a Zenone et Chrysippo suspensos esse, sed a media stoa, putes Posidonio.

epist. 9,9 qui amicus esse coepit quia expedit placebit aliquod pretium contra amicitiam si ullum in illa placet praeter ipsam in quid amicum paras (paro p) ut habeam pro quo mori possim *codd.*

Postquam Seneca de vera amicitia, ex amore nata, et de falsa, spe lucri comparata locutus est at deinde falsam amicitiam exemplis pluribus illustravit, iam ad id procedit, ut Socratica ratione per interrogatiunculas systematice definiat, qualis is sit, qui utilitatis causa amicitiam quaerat. memoria archetypi, in editionibus variis male tractata (v. infra), a maioribus mendis libera est; tantum scriba Carolinus scripturam continentem exemplaris antiqui duobus locis haplographia, ut assolet, truncavit. lego igitur: „*qui amicus esse coepit, quia expedit?*“ *placerebi(t) tali (ali)quod pretium contra amicitiam, si ullum in illa placet praeter ipsam.* “*in quid*”, (*inquit*), “*amicum paras?*” *ut habeam pro quo mori possim* eqs.

In interrogatione “*qui amicus esse coepit, quia expedit?*” ars postulat *qui*, ac non *quis*, quod latinum vix erat; cf. Seyffert-Müller, Laelius-Commentar zu 6,22 p. 144 „bei der Frage nach der Qualität nur *qui* zulässig“. de usu praepositionis *contra* in phrasi *pretium c. amicitiam* cf. e. g. Plin., *nat. hist.* VII 1 *mercede contra munera.* de *ullum* vice substantivi posito cf. Liv. II 59,8. “*in quid*”, *inquit*, feci, varietatem optimorum codicum in meum usum vertens: *in quid P b inquit L Q in quia (a ex u); p.* ficto interlocutori per *inquit* i. e. φησί diatribae graecae inducto (cf. *dial.* II 7,3; III 12,1; IV 33,1; al.) interrogationem “*in quid — paras?*” tribuere necesse est, quia sequentia: *ista, quam tu describis, negotiatio est, non amicitia* eqs. ad Lucilium referri nequeunt. hoc O. Rossbach, *De Sen. libr. rec.* (Bresl. phil. Abh. II 3, 1888) p. 36 primus monuit atque idem verissime hinc causam traxit, cur *paro* codicis p respuendum sit.

Recensiones priorum adscribo, et eam, quam Frid. Haase proposuit, receptam praeter minutiem unam ab O. Hense, ed.², et novissimam ab Ach. Beltrami ed.² (1949) propositam.

9,9 p. 17 Haase: qui amicus esse coepit, (quia expedit, et desinet,) quia expedit. placebit ei [ei om. Hense cum codd.] aliquod pretium contra amicitiam, si ullum in illa placet praeter ipsam. in quid amicum paro? ut habeam pro quo mori possim eqs.

9,9 p. 27 Beltrami: qui amicus esse coepit, quia expedit, (quemadmodum coepit, sic desinet) (additamentum huc traiecit Beltr. ex 9,8, ubi sententiolam istam supervacaneam esse arbitratur); placebit aliquod pretium contra amicitiam, si ullum in illa placet praeter ipsam. "in quid amicum paras?" ut habeam pro quo mori possim eqs.

epist. 10,1 sic est, non muto sententiam: fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. non habeo, cum quo te communicatum velim. et vide quod iudicium meum habeas: audeo te tibi credere. codd.

Huius eclogae colon et vide quod iudicium meum habeas loquela balbutientis est. unde emendatio esse visa est multis et gravibus criticis lectio codicis interpolati cuiusdam et vide quod iudicium meum abeat. quae lectio in contextum recepta est ab editoribus Erasmo, Lipsio, Gronovio, aliis. nihilo setius reverterunt novissimi editores Haase, Hense, Beltrami ad lectionem archetypi consensu codicum omnium vetustiorum recognitam. at ego persto in eo: non, si congeries vocabulorum construi potest, idcirco sententia est. Seneca scripsit: et vide quod iudicium (morum) meum habeas. gessit philosophus censorem morum Lucilii, terminum technicum *iudicis morum*, censoris publici in usum suum vertens. de quo termino v. Thes. l. L. III 797, 10ss. *morum iudices censores*. Varro, *ling.* VI 71 *censorium iudicium*. Cic., *Rosc. Amer.* 109 *mores hominum cognoscite*. denique ne dubites, Senecam 10,1 *iudicium morum* censoris publici in animo habere, cf. *epist.* 123,11 *alienae vitae censores*.

epist. 11,1 ss. adeo illi ex alto suffusus est rubor. hic illum, quantum suspicor, etiam cum se confirmaverit et omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur. nulla enim sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quicquid infixum et ingentum est, lenitur arte, non vincitur. . . . haec nec disciplina nec usus umquam excutit, sed natura

vim suam exercet et illos vitio sui etiam robustissimos admonet. inter haec esse et ruborem scio. *codd.*

Archetypi mendum nobis sanandum lectioni *illos vitio sui* inest; ubi Beltrami cum vett. edd. ante Ruhkopfium *illos vitii sui* scripsit, Haase et Hense cum Schweighaeuser *illo vitio sui*. agitur autem de natura eiusque potentia maxima, quae non modo in corpus, sed etiam in animum sapientis vim suam exercet. nec vero adhuc contigit, ut probabilitate palaeographica servata hoc loco mendum archetypi tolleretur. quod ut bene cedat, ante omnia stoicorum doctrina agnoscenda est, qua animus quoque sapientis vitiis naturalibus afficiatur. at hanc ipsam doctrinam, quamquam in priore parte eclogae supra exscriptae proponitur enuntiatio: *nulla enim sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur*, tam Beltrami quam Hense stoico Senecae abrogant, uncis voces [*aut animi*] includentes; qui in errorem ducti sunt a Madvig, Adv. cr. II p. 464 „quae (voces) et omni philosophiae et Stoicae vehementissime repugnant et totam disputationem evertunt: nam de solis corporis vitiis agitur, quae animo emendato et vitiis exempto manent.“

corporis aut animi genuina lectio vel ideo agnoscenda est, quia stoici *animum* (-am) corporalem habent. cf. de rubore pudoris, item ut hoc loco Seneca, Cleanthem loquentem apud Nemes., *nat. hom.* p. 32 (St. v. frg. I p. 117, 11 ss.) συμπάσχει δὲ ἡ ψυχὴ τῷ σώματι: . . . ἀσχυνομένης γοῦν ἐρυθρὸν γίνεται καὶ φοβουμένης ὠχρὸν· σῶμα ἄρα ἡ ψυχὴ. unde etiam Sen., *benef.* IV 37.1 *hominem venalis animae pro animi* facile, quamvis singulariter dixit (v. Thes. I. L. II 37, 38). deinde cf. Gellium, XIX 1, 15—21 de *brevi motu naturali sapientis* disserentem: *sapientis quoque animum paulisper moveri . . . et pallescere necessum est. . . hoc inter insipientis sapientisque animum differre dicunt, quod insipiens . . . metuenda . . . adsensione adprobat, . . . sapiens autem . . . οὐ συγκατατίθεται.* denique cf. Rabbinow: *Ant. Schriften über Seelenheilung* (1914) p. 50 ss. et Bonhöffer, *Epiktet u. d. Stoa* (1890) p. 308 de Sen., *epist.* 71, 29 *et tremet sapiens et dolebit et expallescet. dial.* IV 2, 2 (*vitia quae condicione quadam humanae sortis eveniunt ideoque etiam sapientissimis accidunt.*

Hinc redeo ad sententiam mendo archetypi maculatam: *natura vim suam exercet et illos vitio sui etiam robustissimos admonet.* iam exploratum est, cuius generis a vitiis ne sapiens quidem immunis remaneat, *etiam cum se omnibus vitiis exuerit.*

quodsi natura sola in causa est, cur motus quosdam turbidos animi sapiens quoque patiat, Senecae erat, sententiam huiusmodi formare: „natura vim suam exercet et illo suo vitio admonet sui etiam robustissimos.“ atque adeo, ut etiam evidentius doceret, non hominem sapientem, sed naturam culpam vitiorum talium sustinere, pro „illo suo vitio“ potuit ponere „illo sui vitio“, idiotismo latinitatis usus, quo gen. subiect. pronominis person. vice pronominis possess. fungitur. qui idiotismus titulis (v. Carm. epigr. 960 Buech.) inde ab aetate Caesariana probatus scriptoribus argenteis in labris fuit; cf. *Sen. nat. quaest.* 6,32,8 *ego recusem mei finem* (codd. stirpis δ *meum finem*), *cum sciam me sine fine non esse? epist.* 12,5 *quod in se iucundissimum omnis voluptas habet, in finem sui differt.* aequo iure, quo Tacitus omnibus grammaticis probatus dixit *ann.* IV 24 *in primo sui incessu*, licuit Senecae dicere *illo sui vitio*. haplographiae mendo in tradito textu *illos vitio sui* sublato redditur Senecae sententia: *natura vim suam exercet et illo sui (ui) vitio sui etiam robustissimos admonet.* sic emphasis idonea induitur vocibus *sui* (gen. subi.) et *sui* (gen. obi.) iterationis figura elatis, ut pateat, naturam, si sapiens motibus quibusdam turbetur, in culpa esse, non ipsum eiusque $\sigma\upsilon\gamma\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\theta\epsilon\sigma\iota\nu$.

Epimetri instar locos tres addo, quibus illustretur, criticis in Senecae recensione operam collocantibus non modo philosophos Graecorum assidua diligentia recolendos esse, sed passim quidem etiam medicos. velut *epist.* 64,8 *vis subita et umor* phrasis quo spectet, Buecheler oculos nobis aperuit, cum, $\acute{\epsilon}\pi\iota\phi\omicron\rho\rho\acute{\alpha}\nu$, terminum medicorum graecorum a Seneca converti vidit. atque hanc viam circumspecte a Buecheler monstratam mente vigili progredi iuvat, ubicumque occasio fit.

epist. 11,5 *ut quidam boni sanguinis sunt, ita quidam incitati et mobilis* editores cum damno suo universi neglexerunt medicos evolvere; quippe qui offenderint in usu adiectivi *bonus*, quali usu absoluto hoc adiectivum ad substantivum *sanguis* in locutione *quidam boni sanguinis sunt* accedit. ubi Hense — nec aliter fere Beltrami — in apparatu critico adnotat: „*lenti* pro *boni* coniecit Haase, *inmoti* O. Rossbach, *boni tranquillique sanguinis* Hense.“ Axelson, „*N. Sen.-Stud.*“ p. 44 commendavit *lenti*. at vocabulo *bonus* redditur graecum $\chi\rho\eta\sigma\tau\acute{o}\varsigma$, quod omnino i. q. *bonus* valet et apud medicos de sanguine non incitato in usu tecnico est; cf. Galen., in *Hipp. de nat. hom.* 3,7 CMG. V 9,1 p. 95 $\acute{\epsilon}\nu$ $\alpha\lambda\mu\alpha\tau\iota$ $\chi\rho\eta\sigma\tau\acute{\omega}$.

Altero loco, ubi ad eruditionem medicam Senecae provocaverim, ut hac quoque via recognitioni textus Annaeani subveniatur, rursus mendum archetypi codicum omnium tollo.

epist. 13,7 „quomodo“, inquis, „intellegam, vana sint an vera, quibus angor?“ accipe huius rei regulam: aut praesentibus torquemur aut futuris aut utrisque. de praesentibus facile iudicium est: si corpus tuum liberum est sanum est, nec ullus ex iniuria dolor est. videbimus quid futurum sit; hodie nihil negotii habet, „at enim futurum est.“ primum dispice . . . *codd.*

Pro scriptura tradita *liberum est sanum est* codicum pLPb (*liberun ē. sanum est Q*) Madwig, Adv. cr. II p. 464 proposuit *liberum et sanum est*. quam lectionem receperunt editores Hense et Beltrami. quod vero Castiglioni, Studi Annaeani III p. 211 scribere maluit: *liberum est, si sanum est*, in id aut fallor aut eo ductus est, quia *liberum* absolute positum sensu iusto careat. nec certior aut clarior sensus loquelae *corpus tuum liberum est* accedit in textu ante Madvigium vulgato: *si corpus tuum liberum est, sanum est*.

Seneca viro bono timoribus, querelis, curis immerito se vexanti regulam tranquillitatis proderere paratus nequivit in talem formulam incidere, qualis *mens sana in corpore sano* vel ex Iuvenale nota est, quandoquidem ipse corpore sano orbus fuit. cui interim *longum commeatum dederat mala valetudo unigue morbo quasi adsignatus erat* (cf. *epist.* 54,1 ss.). inde me arbitro fieri necesse erat, ut Seneca de corpore sano locuturus ab universali notione sanitatis deflexerit, ipsum vocabulum *sanus* vitaverit, in exprimenda notione valetudinis bonae colores variaverit. simul humanum erat scire, acerbissimos dolores pus et saniem in corpore grassantia facere. neque enim vulnera tantum veteres exsaniarunt medici (v. Celsum, *med.* V 27,1 p. 231 Marx), sed etiam in morbis ut in cancro observarunt, quomodo *flueret sanies mali odoris* (cf. *ibid.* VII 27,1 p. 353). quodsi Seneca in brevem formulam redigere voluit, a quibus molestiis corporis et animi hominem liberum esse oporteret, ut bono nomine desisteret *sine causa se cruciare et maerere*, placet formula, quam errore scribae archetypi sublato ei reddo: *de praesentibus facile iudicium est: si corpus tuum liberum ex san(ie) est, nec ullus ex iniuria dolor est.*

Approbatum haec restitutio textus Annaeani insuper eo, quod iam verba *ex sanie* in priore membro sententiae *si corpus*

tuum liberum ex sanie est, nec ullus ex iniuria dolor est apte respondent verbis *ex iniuria* membri posterioris sententiae cum ostentato candore stili Annaeani.

De *structura liberum ex pro ab* cf. *epist.* 86,6 *corpora exsaniata* et *cons. Helv.* 3,1 *corpora exsaniari*. Cic., *Verr.* 5,23 *ex his incommodis liberasse. pro sanguinem* posuit *saniem* Lipsius iure ambiguo quidem in sententia, qua tamen de studiis Senecae in arte medica collocatis admodum erudimur *epist.* 95,22 *antiqui medici nesciebant dare cibum saepius et vino fulcire venas cadentes, nesciebant sanguinem (saniem Lips.) mittere et diutinam aegrotationem balneo sudoribusque laxare, nesciebant crurum vinculo brachiorumque latentem vim et in medio sedentem ad extrema revocare.*

Tertio loco iam mihi tractando habitare adeo Senecam in disciplina medica a Graecis Romam delata cognoscitur:

epist. 15,3 *accedunt pessimae notae . . . homines inter oleum et vinum occupati, quibus ad votum dies actus est, si bene desudaverunt, si in locum eius, quod effluxit, multum potionis altius in ieiuno (ieiuno p P b ieiunio L¹) iturae regesserunt. bibere et sudare vita cardiaci est.*

Intestinorum pars, hira ή νήστις, seu potius *ieiunum* vocatum hoc loco me iudice intellegendum est: *multum potionis altius in ieiuno iturae* cardiacum facit. cf. Cels., *med.* 4, 1, 7 p. 150 Marx *a porta ventriculi ieiunum intestinum incipit. cui tale vocabulum est, quia numquam quod accepit, continet.* Veget. *mulom.* 1,40,2 p. 66 Lommatzsch *in colum quod latine ieiunum dicitur, humor pessimus transit.* v. Thes. I. L. VII 1 p. 252,70 ss. editores priores omnes verus sensus vocis *ieiunum* praeteriit, de homine *ieiuno* sive de *ieiunio* hominis Senecam loqui opinantes; quorum partim pro *iturae* lectionem codicis P *guttur* receperunt: *in ieiuno gutture* P *ieiuno gutture* Lipsius, Ruhkopf; *ineieiunio iturae* QL; *ieiuno iturae* Fickert, Haase, Rossbach; in *ieiunio iturae* (an *in ieiunos iturae?*) Beltrami; [*in ieiunio* cum Madvig Hense addens: „exspectes“ *in venas ieiunorum.*